

42 Quo vero ad Cadaver, solet hoc in aliquibus Civitatibus extrahi a Feretro, et deponi supra pavementum Ecclesiae, strato prius obstragulo: seu Culcitra funebri cum pulvinaribus ad pedes, et ad caput: atque hoc pro humilitatis, et exinanitionis testimonio communiter habetur.

43 De Culcitra, in quis, juxta morem aliquarum Regionum, involvitur Cadaver, an debeatur Ecclesiae tumulanti, etiamsi sit pretiosa, seu, pannus aureus, propositum fuit dubium Sacrae Congregationi Conc. et ipsa responsum fecit sub die 3. Septembris 1707. *affirmative*. Et in terminis fortioribus, quod Ecclesiae sepeliendi nedum debeantur similia ornamenta. sive sint pretiosa, sive aureo contexta, sed etiam quod ei debeantur *Stendardi*, et equi bardati, quamvis magni valoris, quibus associare solent equites; et strenui milites, ex Doctrina Bald. l. 1. et sed et qui, *Cod. de latin. libert. tollent*. Obserbant Jul. Ferret. in *Tract. variet. int. Jus Civile, et Longobard. rubr. de sepult. violat. n. 3.* et Raynald. *Obser. Crim. n. 3. cap. 32. §. 4. et 5. n. 103.* afluat Ursaya, *T. 3. p. 2. d. 12. n. 52. 60. 61.*

44 Rursus alia Cadavera in altum extolluntur juxta graduum eminentiam erecta lugubri machina, seu Pagmate varie efformato, gradibus, columnis, aliisque ad libitum Haeredum Defuncti, Labor. *ibid.*

Quae omnia Cereis luminibus stipata rite esse debent, ita praescribente Textu nostro, dum dicit.—*Cereis accensis circa corpus*.—Quod numerum, pondus, et mensuram horum Cereorum, seu intortitorum nihil ad Parochum pertinet, tota ratio incumbit ad Haeredes Defuncti. Donec ardeant haec lumina, ad Cadaver spectant: statim ac extincta sunt, cedunt favore Ecclesiae, Barbos. *d. p. 3. c. 25. n. 68.* nec super reliquas Cereorum jus ullum habent Haeredes nisi facta sit prius aliquam pacto, vel alias disponat consuetudo.

§. VI. Dum in Officio dicuntur Laudes, Sacerdos cum Ministris paratur ad celebrandam Missam solemnem pro Defunctis, si tempus congruens fuerit, ut in die depositionis in Missali Romano.

54 Ista celeritas, et istud tempus captari debet a celebrante, si vere adsit cum aliis psallentibus in Choro; eo quia immediate post ultimum Psalmum, incipi debet Missa ab introitu: *Requiem aeternam, etc.* Ista Missa debet esse illa, ut in die depositionis Defuncti, de qua multa doctissime scripsit Gavant. atque ideo mihi nihil superest dicendum super hoc,

quia Rubricae Missalis jam per illum, et quidem insignem Scriptorem explicatae fuerunt.

46 47 48 49 Ad illud vero, quod Textus dicit.—*Si tempus congruens, fuerit*. observandum est varias esse hujus temporis congruentias; praecipuam vero esse si funus, et exequiae fiant in mane, quia post meridiem, ut omnibus patet non, possunt Missae celebrari. Si igitur de mane non fiant exequiae, et Cadaver humandum sit, tunc dicto Officio Defunctorum exequiae persolvuntur absque Missa, et Cadaver traditur sepulturae. Si vero Cadaver adhuc incorruptum servari possit usque ad diem sequentem, et velint haeredes, ut expositum maneat in Ecclesia, Fidelium precibus; tunc celebratio Missae potest differri, sicuti et recitatio Officii Defunctorum ad diem sequentem, atque eo tempore cuncta commode peragi possunt. Interim vero, tempore Nocturno, Cadaver in Ecclesia custodiri debet in suo Feretro; et potest haberi haec custodia tam in loco consueto, quam in Cappella, sive Oratorio privato, et in mane denuo exponi: ubi animadvertendum est, quod nunquam sine alicujus Viri custodia, relinqui debet, ne a bestiis laedatur; et ad omnia inconvenientia reparanda, quae facile oriri possent: sicuti neque sine lumine ad tenorem nostri Textus, qui praecipit, ut semper ardeat aliquod lumen circa Cadaver.

§. VII. Finita Missa, Sacerdos deposita Casula, seu Planeta, et Manipulo, accipit Pluviale nigri coloris, et Subdiaconus accipit Crucem, et accedit ad Feretrum, et se sistit ad caput Defuncti, cum Cruce, medius inter duos Acolythos, seu Ceroferarios, cum Candelabris, et Candelis accensis, et omnes alii de Clero, veniunt ordinatim in grado suo cum Candelis accensis, et stant in circuitu Feretri.

50 51 Cum finita Missa *de Requiem, etc.* sit locus habendi Orationem Funebrem in laudem Defuncti, si hoc ratio postulet: haec Oratio, si a Clerico, seu Sacerdote habeatur, recitanda est in veste talari nigri coloris, non autem in superpelliceo, seu Rochetto, et multo minus in habitu Canonicali, quia res sacra non est, nec concio, nec lectio spiritualis, Corsett. *de Rubric. general. c. 2. add. num, 28. ex Caeremoniale Episcop. l. 1. c. 32. et l. 2. c. 11.*

52 53 Casula seu Planeta cum sit vesti Altari tantum destinata, Gavant. *dict. p. 1. verb. Casula*: ideo deponi debet in quacumque alia Ecclesiastica functione quae Missa non sit, et loco illius sumendum est Pluviale, de quo alibi diximus: cum

enim haec sit quodammodo vestis viatoria, maxime convenit in Exequiis, et Funeribus ratione circuitus faciendi circa Feretrum.

54 Si desit Pluviale, Sacerdos remanet in Alba, nec retinet re debet Casulam pro Pluviale: retinet tamen stolam transversam ante pectus in modum Crucis, ita a Portu, *de Cultu Dei, et Hom. pag. 332. num. 4.* Caetera ad hanc rem facientia, vide apud Gavant. *t. 1. p. 2. tit. 13. litt. f. g. et seqq.* et novissime apud Port. *loco supracit.* quae hic repetere non juvat, nisi ad libri molem augendam: Nonnulla tamen advertenda recensere posse judicavi ad majorem praesentis Textus intelligentiam.

55 56 57 Et primo. Si Cadaver expositum, circa quod fiunt Exequiae, sit Sacerdotis, vel etiam si Exequiae sint pro Sacerdote sine Cadavere, sed solum cum panno nigro, vel cenotaphio, quod Graeci vocant Funus imaginarium, Lavor. *dict. p. 151. num. 202.* tunc ratione dignitatis, cum caput sit versus Altare, videretur, quod Sacerdos faciens Exquias, stare deberet in faciam Altaris, nempe ad pedes Defuncti, et Subdiaconus cum Cruce ad caput, et consequenter terga vertens Altari, et Cruci; sed quia hoc indicens, et deforme videretur, statuit Gavant. *l. c. litt. m.* quod etiam si Exequiae sint pro Sacerdote, Celebrans stare debeat semper inter Altare, et Tumulum: Subdiaconus vero contra Altare ad pedes Lecticae, seu Tumuli; et ita in praxi saepius vidi non obstante opinione Bauldrii, qui in *Praxi Caerem. p. 3. c. 14. n. 4.* asserit deberi semper Crucem ad caput Defuncti plantari, seu deferri, sive sit Laici, sive Sacerdotis.

58 59 Candelae debent insuper accensae esse in manibus Cleri, seu quorumcumque in Processione funeris interessentium, si facultas Defuncti id ferat. Si vero vires Haereditatis non sufficerent ad hoc, non essent ita solemniter faciendae exequiae, eo quia quando desunt, quae necessaria, e quae praescriptae sunt a Rituali, consultius esset abstinere ab ista pompa exequiarum: potius quam illas obtruncatas deformiter persolvere. Advertant itaque Sacrarum Caeremoniarum Magistri, ne adeo facile permittant hanc Exequiarum celebrationem ad Feretrum, seu Cenotaphium sine candelis accensis, quia hoc est expresse contra Ritum operari. In hoc casu laudabilius erit, si Clerus in Choro persistens, ex illo loco respondeat Sacerdoti Exequiae, et Absolutionem celebranti, quam si circumat Tumulum, seu Cadaver sine luminibus in manu accensis, quae important Ritum, et significationem, ut saepius in his commentariis dictum est, dum de luminibus, vel Cereis verba facimus.

§. VII. Tum sequitur Sacerdos cum Diacono, et as-

sistente, aliisque Ministris, et facta reverentia Altari, sistit se contra Crucem ad pedes Defuncti, retro astantibus ei a sinistris duobus Acolythis, uno cum Thuribulo et Navicula incensi, altero cum Vase Aquae Benedictae et Aspersorio, et Acolythis, seu Clerico tenente Librum, absolute dicit sequentem Orationem. *Non intres in iudicium, etc.*

60 Satis circa verba hujus Rubricae loquitur Gavant. ideoque non aliud addendum censeo, nisi quod ista Oratio: *Non intres in iudicium, etc.* tantummodo recitari debet praesente corpore, non vero supra Cenotaphium, seu Lectum honoris, ut alii vocant, absente Cadavere, ut suo loco dicemus, tunc cum de Exequiis absente corpore Defuncti sermo erit.

In orationibus contemplatur tantummodo masculinum genus sed debet fieri mutatio in omnibus juxta genus defuncti: Ratio autem, cur in oratione ante sepulturam habeantur in Rituali duae orationes, altera pro maribus, pro foeminis altera, nulla alia est, nisi ad evitandam confusionem in celebrante, cum in ea oratione multa sint immutanda, quod certe non evenire potest in caeteris, ideoque potest Celebrans sine difficultate eas adaptare generi defuncti. Quoad orationem autem *Non intres etc.* nunquam haec mutari debet, prout a S. R. C. declaratum est apud Merati in suo indice, n. 518.

§. IX. Deinde Cantore incipiente, Clerus circumstans cantat sequens Responsorium. *Libera me Domine, etc.*

Similiter adeatur Gavant. *loc. cit.* et Port super hoc.

§. X. Dum cantatur praedictum Responsorium, Sacerdos, Acolythis, et Diacono ministrante, accipit Incensum de Navicula, et ponit in Thuribulum, et finito Responsorio, Cantor cum primo Choro dicit, *Kyrie eleison.* Et secundus chorus respondet, *Christe eleison.* Deinde omnes simul dicunt, *Kyrie, etc.*

61 Videtur, quod ista positio Incensi in Thuribulum anticipetur ex eo, quia post dictum *Kyrie eleison, et Pater nos-*
Com.—P. 22.

ter, nimis moraretur in Conclusionem ejusdem Orationis Dominicae.

§. XI. Mox Sacerdos dicit alta voce *Pater noster*, etc. et secreto dicitur ab omnibus; et ipse interim accipit a Diacono, vel Acolyto Aspersorium Aquae Benedictae, et facta profunda inclinatione Cruci, quae est ex adverso, Diacono, seu Ministro genuflectente, et simbram Pluvialis sublevante, circumiens Feretrum (si transit ante Sacramentum, genuflectit) aspergit corpus Defuncti. Deinde reversus ad locum suum, Diacono ministrante, accipit Thuribulum, et eodem modo circumit Feretrum, et corpus incensat, ut aspererat: postea reddito Thuribulo ei, a quo acceperat, stans in loco suo, Acolyto, seu alio ministro tenente librum apertum ante se, dicit: *V. Et ne nos, etc.*

62 Quoad modum istius Aspersionis, sicut non praescribitur in Rituali, neque modus thurificandi Cadaver, ita varia est praxis in Ecclesia. Verum tamen est ritum meliorem illorum esse, qui circumeundo Feretrum aspergunt, et incensant sine mora in principio, in medio, et in fine, et utraque parte, cum hi se conforment Pontificali Romano, et Caeremoniali Episc. l. 2 c. 11. §. 111., et authoritati [P. Merati p. 2. tit. 13. §. 26. Caeterum Aspersionis nunquam fieri debet in modum Crucis; quae si tali modo faciendae esset, procul dubio in Rituali Rom. esset adnotata.

Itaque praetermissis quae diffuse adnotat Gavant. et Port. dd. u. nonnulla remanent dicenda ad majorem dilucidationem hujus paragraphi. Et primo, *Pater noster* etc. intonatur alta et intelligibili voce, sed postea sub silentio recitatur usque ad *Et ne nos inducas, etc.* ut diligentius, et attentius dicatur, necnon ut pateat ad quid Oratio ipsa dicatur, ne illam recitans per phantasiam distrahatur, Corsett. verb. *Oratio Dominica.*

63 Secundo: Aspergitur Cadaver Aqua Benedicta, quae cum Thure est correlativa. Gavant. d. l. litt. l. non ad tollenda peccata venialia, sed ut omnino immundorum spirituum praesentia arceatur, Durand. c. 35.

64 65 Tertio: de Thure, et Incensatione Cadaverum varia dicenda sunt, ad confutandum praecipue improprios illud Adagium: *Quid prodest incensum mortuo?* Circa quod desumere mihi liceat quaecumque a diversis Catholicis Scriptoribus, et quidem gravissimis dicta sunt; ut Lector, seu Minister

Ecclesiasticus in unum locum congesta habeat, quae ad reprimendam Haereticorum audaciam valeant, qui illud Adagium repetunt.

Dico igitur, incenso Thure Defunctos honorari debere, ut probat Baron. ann. 34. nu. 312. ex actis Synodi Chalcedonensis, ex qua accusatum fuisse apparet Dioscorum, thurificationem funeris Peristoriae piissimae Foeminae negligentem; ut refert Sarnell. Ep. 33. T. 1. Insuper ad Daemones expellendos fiunt Incensationes, Innoc. III. l. 2. de *Myst. Missae*, c. 17. et ad pellendum malum odorem Cadaverum, et sepulchrorum ut plurimum male olentium: necnon ut ostendatur, quod Defunctus obtulit Deo seipsum in odorem bonorum operum; seu quod Defunctis prosit Oratio, quae est veluti Incensum, *Psal.* 140. Denique tam Incensatio, quam Aquae benedictae aspersio adhibentur in signum Societatis, et Communionis Sacramentorum, quam nobiscum habuerunt Defuncti dum vixerunt; unde et Dionysius tradit, quod antiquitus Vivi Mortui osculabantur in signum unitatis, quam cum ipsis habuerunt: Vel in ordine ad Deum, dum per haec talia Deo in Defunctis reverentiam exhibemus, quorum membra credimus fuisse Tempa Spiritus Sancti, Durand. l. 1. de *Rit.*

66 Antiquitus etiam purgabatur funestae Familiae suffitionibus, id est thure, et sulphure, cretica cypressu, quae Baty, Melampodio nigro, et verbena constabant: Thus enim, ut in sacrificiis, sic primum in funeribus locum obtinuit; et sic suffitio non solum ad ignem Regi, sed ad domesticum locum extendebatur, Lavar, *Tit.* 2. cap. 15, n. 8. 9.

67 Est insuper assignata propter Thus in Ecclesia, quia ad sepulturam non tantum datur, ut expellatur foetor, qui extat in corpore mortuo, sed ut melius placeat Deo. Vide de aliis utilitatibus sepulturae, Bellarmin: T. 1. *contr. l. 2. de Funer.* c. 19. S. Thom. in 4. *distinc.* 45. qu. 2. Florent. T. 10. c. 1. §. 3. Cassan, *Catal. glor. mund. p. 2. consid.* 5. et 6. Innocent. in c. *Cum liberum, ne sepulturis*, et alios plurimos de Sacris Ritibus pertractantes.

Quibus rationibus responderi potest affirmative, quod Thus datum Defunctis, eorumque sepulchris prosit mortuis; nam sicut Thus in Sacrificiis, sic in funeribus adhibetur non inutiliter, nec sine mysterio. Fundamentum Haereticorum, qui thurificationem in Sacris irrident, et respuunt, desumitur ex *Isajae cap. 1.* ubi legitur: *Incensum est abominatio mihi.* Verum in eo loco Deus non pure loquitur, nec Incensum spernit, sicuti nec Sabbata, et Neomenias: sed tum demum, quando ab Impiis Incensum indigne offertur, ut exponit Nazianzen. *Orat.* 3. *advers. Julian.*

68 Haec Caeremonia utpote introducta, et approbata ab Ecclesia servanda est, et contrarium asserens esset excommuni-

catus. Verba Concilii Tridentini hoc afferentia sunt haec *sess. 22. cap. 5. Pia Mater Ecclesia, Ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronunciarentur, instituit: Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, THYMIAMATA, Vestes, aliaque id generis multa, ex Apostolica disciplina, et traditione.*

Pluribus ergo de causis, mortui, et eorum Sepulturae thurificantur: et repetam ex LAVOR *d. l. n. 62.* Primo ut, ex Defuncti Persona Deum adoremus, petamusque, nostras Preces, quas pro eo fundimus, sicut Incensum in conspectu Dei deferri. Tres alias rationes affert Durand. *Rational. l. 7. c. 35. n. 38.* Joann. Bellet. *explan. divin. Off. cap. 161.* Thus, inquit ipsi, ibi propter foetorem removendum ponitur, seu ut Defunctus Creatori suo acceptabilem bonorum operum odorem intelligatur obtulisse: seu ad ostendendum, quod Defunctis prosit auxilium Orationis, quae per Incensum denotatur, *ut Ps. 140. Dirigatur Domine Oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, etc.* Quinta affertur ab Innoc. III. *l. 2. myst. Missae c. 17.* et a Jo: Steph. Durant. *l. 1. c. 9. n. 9.* ubi: suffitus, seu thurificatio ad fugandos Daemones efficax est. Idem confirmat Durand. *Rational. l. 4. c. 10. n. 5.* et alii.

69 Item, cum ad hanc rem faciat, notandum est quod in Missa pro vivis omnes thurificantur, ad denotandum, illorum Orationes ad Caelum dirigi. In Missa autem solemnii Defunctorum non incensatur Altare ad Introitum, sed tantum ad Oblata, prout et ipsa Oblata, et tunc non alii, sed solus Sacerdos celebrans, qui repraesentat Christum, thurificatur. Alii autem non incensantur, ad denotandum, quod mortui nil posthac valent propriis Orationibus promereri, unde *Psal. 112. ait: Non mortui laudabunt te Domine, LAVOR. d. l. n. 64.*

70 Quaerunt nonnulli an benedicendum sit Incensum illud, quo adolendi sunt immediate Defuncti? Quaestio haec movetur ratione Missalium antiquorum, Caeremonialis Episcoporum et Ritualis nostri, in quibus nulla mentio sit de hujusmodi Benedictione. Pro responsione fit, quod in Missali noviter edito, et recognito, claris, et apertis verbis hoc jubetur, ubi dicitur: *Benedicens illud more solito, atque hoc triplici innititur fundamento.* Primo ita praescribitur in Caeremoniali Papae, *l. 1. sect. 15. c. 1.* ubi expresse jubetur benedici debere Incensum pro adolendis Defunctis, et adduntur solita: *Ab illo benedicaris, etc.* Insuper ex Innocentio III. praecipue haec incensatio sit ad expellendos Daemones, quae ratio implicite se refert ad Benedictionem, quae ad hoc faciendum valet, Durant. *l. 1. de Rit. c. 9. n. 9.* Denique cum non Aqua simplici, sed benedicta Defunctos aspergamus, ita a Thure quoque benedicto erunt mortui incensandi. Rationes vero ex adverso adductae non negant hanc Benedictionem, sed vel omittunt, vel sup-

ponunt tamquam inusitatam, Gavant. *d. l. §. Dubitarunt.* Quae ita diffuse dicta sint, ut Parochi rationes in promptu habeant, quibus respondeant objectionibus.

§. XII. Si Defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione dicatur: *Pro Anima famuli tui Sacerdotis, quam, etc.*

71 Adeo eminens est dignitas Sacerdotalis, ut neque post mortem reticere possit. Hoc non dicitur de aliis Clericis etiam majoribus, neque de Canonicis, neque de Protonotariis: dicitur vero de Episcopis, et Cardinalibus ob eminentiam dignitatis in Ecclesia Dei, *Caerem. Episc. l. 2. c. 27.*

§. XIII. Finita Oratione, corpus defertur ad sepulchrum, si tunc deferendum sit: et dum portatur, Clerici cantant Antiphonam: *In Paradisum, etc.*

72 Non amplius super humeros defertur Feretrum, sed manibus attollitur, et deducitur per eosdem, qui ad Ecclesiam illud detulerunt; et ratio est, quia haec non dicitur proprie Processio, sed brevis translatio.

73 Multipliciter potest dari casus, cur non statim Cadaver tradi possit sepulturae: potest prima esse, quia nondum elapsae sint horae praescriptae ab expiratione Defuncti: Item quia fovea, seu sepulchrum nondum sint constructum, vel effossum. Similiter, quod construendus est processus circa Defuncti qualitates, vel alia: In istis casibus, Cadaver (si brevis debeat esse mora) transferri potest ad Cappellam, seu Oratorium privatum illius Ecclesiae, et non amplius in ejus medio, ut praescripsit Rubrica: semper vero cum lumine ardente. Si vero longa debeat esse mora, et nocturna, et Cadaver jam foeteat, collocari potest in capsula bene clausa, in alio sepulchro per modum depositi, donec paratus sit illi locus perpetuae sepulturae.

§. XIV. Cum autem pervenerit ad sepulchrum, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem: *Oremus. Deus, cujus, etc.*

74 Modo de benedictione Sepulchri dicendum est, quae in

hoc loco tantummodo nostri Ritualis descripta est; non vero in subsequentibus Titulis de Benedictionibus, prout est Benedictio Coemeterii, quae suo loco cum aliis Benedictionibus habetur.

Sepulchrum quodcumque debet benedici de more, ut *in cap. de Sepulturis* habemus. Et quamvis Ecclesia, in qua aedificatum sit Sepulchrum, benedicta jam fuerit, vel consecrata, nihilominus, ratione novae materiae adhibitae in aedificatione Sepulchri, hoc benedici debet, quia locus mutat materiam, et usum: ratione enim suae foundationis Ecclesia non patitur Sepulchrum, sed ex privilegio, et tolerantia, ut alibi diximus.

75 Quando vero Sepultura, seu Fovea sit in Coemeterio, tunc nulla particularis benedictio adhibetur, quia locus ad hunc usum praecipue benedictus est jam pridem, nec ulla materia supperadditur de novo, sed tantum effoditur humus, Quart. *de Benedict. Sepulch.*

76 De ratione, et modo congruenti aedificandi Sepulchra in Ecclesia, multa praescripsit S. Carolus, *Act. Eccl. Mediolanen.* Supra omnia haec animadvertenda sunt adnotata a Cavalario *Rett. Eccl. tit. 15.* Sepulchra non sint neque in Choro, neque in Presbyterio, neque prope Altare, juxta *c. Praecipendum 13. q. 2.* ubi neque pro Episcopis admittuntur. Fornicato opere opus est, ut sint, ne cadaveribus imminutis, et consumptis, pavementum ruat. Marmoreo lapide sint bene clausa, nec lapis emineat supra pavementum, sicque offendiculum transeuntibus Ponatur. Pavimentum Ecclesiae infringere non licet, ob humanum Cadaver extra sepulchra, nisi obtenta facultate ab Ordinario, quae de raro et rationabili de causa tum concedi, tum negari potest. Hoc pacto constructum Sepulchrum benedici debet a Sacerdote juxta modum, et formam in Rituali praescriptam, et assignatam.

§. XV. Dicta Oratione, Sacerdos, Aqua benedicta aspergat, deinde incenset corpus Defuncti, et Tumulum.

77 Ista aspersio, et thurificatio facienda erit, si Sepulchrum benedicatur praesente Cadavere: potest enim dari, quod Sepulchrum benedicatur illico ac constructum est, et absque occasione aliquod Cadaver humani. Aquae benedictae, et incensi jam supra diximus significationes, et mysteria, atque ideo hic repetenda non sunt: unice tantum dicam, incensari, et aspergi in hoc casu prius corpus Defuncti, quam Sepulchrum, quia a nobiliori semper incipiendum est: Corpus enim, quod

fuit Templum Dei per Sacramenta, est nobilius proculdubio quocumque lapide, et coemento.

71 Sacerdotale Brixien. *dist. 9. c. 2. pag. 280.* habeat hanc Benedictionem, sed superadduntur Preces dicendae dum Sacerdos aspergit, et incensat: nempe: *Rore caelesti perfundat, et perficiat Animam tuam Deus.* Insuper, *Odore caelesti pascat Animam tuam Deus.* Et in actu sepeliendi: *Sume Terra quod tuum est: sumat Deus quod suum est: corpus de terra formatum: Spiritus de Caelo inspiratus est.* Deinde Sacerdos pala ter projiciens terram super funus dicit: *Memento Homo quia pulvis es, et id pulverem reverteris.* Postquam dicto *Magnificat, etc.* Ps. *Lauda animae meo Dominum, etc.* et nonnullis Precibus et orationibus, cum pala, seu cruce lignea signat Sepulchrum tribus in locis: in capite, in medio, et in pedibus, dicens: *Signum Salvatoris † Domini nostri Jesu Christi † super te, qui in hac Imagine † redemit te, nec permittat introire* (infigat Crucem ligneam in capite sepulchri) *Angelum percutientem in aeternum.* Deinde aspergit sepulchrum Aqua benedicta, et dicta alia Oratione per Populum, materna lingua omnes aspergunt sepulchrum, et discedunt. Qui Ritus magis servandus est in Coemeterio, quam in Ecclesia.

§. XVI. Quod si corpus tunc ad Sepulturam non deferatur, omissio Responsorio, *In Paradisum, etc.* et benedictione sepulchri, si jam est benedictum, prosequatur Officium, ut infra, quod nunquam omittitur; et intonet Antiphonam: *Ego sum, etc.* et dicitur Canticum, *Benedictus, etc.* et repetitur Antiphona, *Ego sum, etc.* Postea Sacerdos dicit, *Kyree eleyson, etc.* Interim corpus aspergit.

72 Potest differri Sepultura Cadaveris ob varias rationes prout dictum est, sed haec dilatio non debet interrumpere Officium: tantummodo omittuntur suprascriptae, Antiphonae, et Preces assignatae usque ad Antiphonam: *Ego sum etc.* cum Cantico: *Benedictus, etc.* quod non est praetermittendum; habetur enim in hoc loco pro termino Laudum in Officio Defunctorum, etiamsi Officium recitatum omnino jam sit; et tunc dicitur Officium Defunctorum vere expletum, et expletae exequiae, ita ut Cadaver valeat sepeliri absque alia caeremonia.

§. XVII. Si fuerit Foemina, dicatur: *Oremus. Fac quae-sumus, etc.*

80 Tota Oratio hic repetitur mutatis mutandis in genere foeminino, ut facilius Sacerdos possit eam legere, et cantare, nec opus sit toties advertere ad mutationem generis, quae in hac sola Oratione occurrit per sex vices: facile enim oculus, et mens possunt distrahi, et in errorem trahere linguam celebrantis.

81 Post *Requiescat in pace*, additur: *Anima ejus, etc.* Sed in die commemorationis omnium Defunctorum nihil additur; *S. R. C. 16. Dec. 1671.*

§. XVIII. Diende a sepultura in Ecclesiam, vel in Sacristiam revertentes, dicant sine cantu Antiphonam, *Si iniquitates, etc.* cum Psalmo, *De profundis, etc.*

82 Ne videatur Ecclesia, dum prouno Fideli Defuncto orat, oblivisci etiam aliorum, qui in Christo obdormierunt, post persolutas exequias, uni defuncto, breves Preces fundit pro cunctis, dum a primis exequiis revertitur Clerus, ne otiose se conferat ad Sacristiam: atque hae Preces terminantur cum solita Oratione communi, *Fidelium, etc.*

83 84 Dum Textus dicit, *in Ecclesiam, seu in Sacristiam revertentes*, demonstratur, quod si Cadaver sepultum sit in Coemeterio, tunc istae ultimae Preces persolvendae sunt in transitu de dicto Coemeterio ad Ecclesiam. Quando vero Cadaver humatum est, sive Exequiae celebratae sunt in Ecclesia, tunc istae novissimae Preces universales habendae sunt in transitu de Ecclesia in Sacristiam, nec debet Clerus, et Sacerdos se sistere ante Altare majus, ut abusive fit a nonnullis, sed recto tramite transire debent ad locum praescriptum, ut vestes Sacras ibi deponant. Ubi notandum.

85 Quod si exequiae persolutae sint non pro uno Defuncto, sed pro Animabus purgantibus, tunc revertens Clerus ad Ecclesiam, vel Sacristiam breves exequias has non celebrat pariter pro cunctis (esset enim repetitio nimis proxima) sed applicat easdem pro Sacerdotibus defunctis, Orationem propriam recitando, et hoc pacto, aliquo modo distinguit Preces a precibus.

§. XIX. Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, praedictum Officium mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus dici non potest; deposito in Ecclesia Fero, cum corpore, dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, vel etiam sine Laudibus, maxime ubi ejusmodi viget consuetudo, incipiendo ab Invitatorio: *Regem, cui omnia vivunt, etc.* Et postea omnia alia dicantur, quae supra praescripta sunt dicenda post Officium mortuorum, et Missam.

86 87 Hic docentur Exequiae compendiosae, quas adhibere debet Sacerdos in casu necessitatis, et praecipue in temporis angustia, seu in casu aliorum Funerum. Verum hanc dispensationem nimis amplexari sunt moderni Parochi, qui consuetudinem jam introductam habent, etiam absque ulla necessitate, praecipue in Ecclesiis ruralibus, has compendiosas Exequias persolvendi quasi tumultuose, et festinanter.

§. XX. Quod si etiam ea fuerit temporis angustia, vel alia urgens necessitas, ut unum Nocturnum cum Laudibus dici non possit, aliae praedictae Preces, et suffragia nunquam omittantur.

Ecce iterum compendiosarum Exequiarum altera restrictio, quae dispensat ab Officio Defunctorum. Et haec quoque invaluit in Civitatibus, ubi absque ulla necessitate quotidie communiter, et sine Officio mortui sepeliuntur. Non tamen sepeliuntur sine aliis Precibus, et Suffragiis, quia si haec studiose omittentur, utpote quia a Rituali praescribuntur, non essent sine gravi peccato Sacerdotes, et Parochi, ut jam diximus in explicatione Tituli de Exequiis, Paragrapho Primo, et Secundo.

§. XXI. Missa vero, si hora fuerit congruens, ritu pro Defunctis, ut in die obitus, praesente corpore, non omitatur, nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat; et post Missam fiat ut supra.